

est quoad officia, quæ alicubi ex speciali recitantur indulto, quin ulla intersit ad ordinem, diœcesim aut locum relatio, veluti illa sunt, quæ ex peculiari devotione, communicatione privilegiorum, vel ex alio extraneo titulo recitantur; quæque idcirco aliis officiis ejusdem ritus et dignitatis præferri nequeunt. Ita S. R. C. cum approbatione Apostolica (1) declaravit, officia specialiter concessa congregationi ss. Redemptoris non esse considerata tanquam propria ordinis, et in paritate ritus non esse præferenda in occurrentia sanctorum kalendarii diœcesani (2).

Not. Licet duæ præcedentes regulæ certæ et universales sint; cum tamen intelligendæ sint de festis in reliquis paribus: ex aliis titulis fieri potest, ut festum minus dignum digniori, et magis universale magis particulari præferatur: ideoque adduntur regulæ sequentes (3).

4<sup>a</sup> *Regula.* Occurrente festo primario cum festo secundario ejusdem ritus, festum primum est celebrandum, et secundarium, licet sit dignius aut particularius, est transferendum.

Datur hic locus opportunus subjungendi decreta generalia de festis primariis et secundariis.

I. DE PRÆEMINENTIA INTER FESTA PRIMARIA ET SECUNDARIA  
EJUSDEM RITUS.

DECRETUM GENERALE.

Jamdudum apud viros sacrae liturgiæ peritos quæstio age-

(1) 31 Mart. 1821, approb. 3 Ap. n. 4431-4581, 3.

(2) Vid. Gardell. in dec. cit. et in dec. n. 4429-4581, nota 1; *Questions discutées à l'académie liturg.* a monte citorio 9 Jan. 1856, quest. 4, n. 112-136.

(3) Verum est, regulas sequentes, quartam et quintam, stricto ordine ponendas esse post primam, et regulam sextam ante tertiam. Attamen cum tres præcedentes regulæ sæpius, sequentes autem rarius sint adhibendæ; idcirco tum majoris claritatis, tum memoriæ juvandæ ratione tres præcedentes primo ponuntur, et deinde sequentes, veluti totidem exceptiones a primis tribus regulis generalibus.

batur gravissimi sane momenti quoad præeminentiam inter festa primaria et secundaria ejusdem ritus. Verum hac controversia nondum composita, identidem Sacra Rituum Congregatio peculiaribus in casibus responsa dedit, ac plura particularia edidit Decreta, quin umquam rem per generale Decretum definiret. Quum vero hisce postremis temporibus in ejusmodi quæstione maxima esset discrepantia ex multiplici atque opposita penes scriptores sacrae liturgiæ Rubricarum interpretatione; necessarium duxit Apostolica Sedes unicam tandem normam statuere, quæ ubique et ab omnibus, præsertim in ordine Divini Officii uniformiter redigendo, servaretur. Quocirca Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII commisit R. P. D. Augustino Caprara, S. Fidei Promotori, ut votum *ex officio* exararet, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitii discutiendum; posteaquam diversæ ea de re a viris in Rubricarum scientia peritis habitæ fuerunt sententiæ, elucubrationibus multa eruditione exornatis.

Quibus omnibus prælo cussis, communicatisque una cum voto præfati S. Fidei Promotoris, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Cœtu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, a me infrascripto Cardinali, eidem Sacrae Congregationi Præfecto et Relatore, sequens Dubium propositum fuit, videlicet: *An et quomodo festa secundaria Domini, B. Mariæ Virg., Angelorum, SS. Apostolorum, aliorumque Sanctorum præferenda sint festis Primariis ejusdem ritus et classis, sed minoris dignitatis, tam in occursu, quam in concursu, et in eorundem repositione?*

Itaque Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus præpositi, mature perpensis rationibus tum a memoratis viris, tum a R. P. D. Promotore S. Fidei adductis, ita rescribendum censuerunt: *In voto R. P. D. Promotoris Fidei, nimirum: Festa Primaria, ulpote solemniora, aliis secundariis in casu præferenda esse tam in occursu quam in concursu, ad formam Rubricæ X, de Translatione festorum n. 6. Quod si eadem festa transferri contingat, in illorum repositione servetur ordo præscriptus in memorata Rubrica n. 7; et fiat catalogus festorum, quæ uti Primaria, vel secundaria, retinenda sunt.* Die 27 Junii 1893.

Demum his omnibus Sanctissimo eidem Domino Nostro relatis per me ipsum infrascriptum Cardinalem Præfectum, Sanctitas Sua sententiam ejusdem Sacræ Congregationis ratam habuit, et confirmavit, jussitque ita, et non aliter Rubricarum præscripta hac in re esse interpretanda: Rescripta, seu Decreta, tum generalia tum particularia, in contrarium facientia suprema auctoritate sua penitus abrogando. Die 2 Julii, anno eodem.

CAJETANUS Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Præfectus.*  
Loco † Sigilli.

VINCENTIUS NUSSI, *S. R. C. Secretarius.*

II. CATALOGUS FESTORUM QUÆ UTI PRIMARIA VEL SECUNDARIA  
RETINENDA SUNT.

DECRETUM GENERALE.

Iuxta Decretum diei 2 Julii nuper elapsi, quum a me infrascripto Cardinali Sacræ Rituum Congregationi Præfecto, et Relatore in Ordinariis Comitibus, subsignata die ad Vaticanum coadunatis, proposita fuerit approbanda Catalogus Festorum, quæ uti *primaria* vel *secundaria* retinenda sunt; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus præpositi, audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, ita rescribere rati sunt: AFFIRMATIVE; *evecto ad ritum Duplicis Majoris, in Calendario universali, festo Dedicationis Basilicæ Ssmi Salvatoris, si Sanctissimo placuerit. Catalogus vero ita se habeat:*

FESTA PRIMARIA.

IN CALENDARIO UNIVERSALI.

§ I. *Duplicia Primæ Classis.*

Nativitas Domini.	Festum S. Joseph Sponsi B. M. V.
Epiphania Domini.	Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli.
Pascha Resurrectionis.	Festum Omnium Sanctorum.
Ascensio Domini.	Dedicatio propriæ Ecclesiæ.
Pentecostes.	Patronus, vel Titulus Ecclesiæ.
Festum Corporis Christi.	Patronus Principalis Regionis, vel Diocesis, aut loci.
Assumptio, et Immaculata Conceptio B. M. V.	
Nativitas S. Joannis Baptistæ.	

§ II. *Duplicia Secundæ Classis.*

Circumcisio Domini.	Natalitia Undecim Apostolorum.
Festum SSmæ Trinitatis.	Festa Evangelistarum.
Purificatio B. Mariæ V.	Festum S. Stephani Protomartyris.
Annuntiatio B. Mariæ V.	Festum SS. Innocentium Martyrum.
Visitatio B. Mariæ V.	Festum S. Laurentii Martyris.
Nativitas B. Mariæ V.	Festum S. Annæ, Matris B. M. V.
Dedicatio S. Michaelis Archangeli.	Festum S. Joachim, Patris B. M. V.

§ III. *Duplicia Majora per Annum.*

Transfiguratio Domini.	Festum S. Barnabæ.
Dedicatio Basilicæ Ssmi Salvatoris.	Festum S. Benedicti Abb.
Dedicatio S. Mariæ ad Nives.	Festum S. Dominici C.
Festum SS. Angelorum Custodum.	Festum S. Francisci C.
Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli Apostolorum.	Festum Patronorum minus Principalium.

§ IV. *Alia duplicia per Annum.*

Dies Natalitia, vel quasi Natalitia uniuscujusque Sancti.

PRO ALIQUIBUS LOCIS.

S. Gabrielis Archangeli.	Commemoratio Sanctorum, quorum Corpora, vel Reliquiæ in Ecclesiis Dioceseos asservantur.
S. Raphaelis Archangeli.	
Dies Natalitia, vel quasi Natalitia uniuscujusque Sancti.	

## FESTA SECUNDARIA.

## IN CALENDARIO UNIVERSALI.

§ I. *Duplicia Primæ Classis.*

Sacratissimi Cordis Jesu.

§ II. *Duplicia Secundæ Classis.*

Festum SSmi Nominis Jesu.	Solemnnitas Ssmi Rosarii B. M. V.
Festum Inventionis S. Crucis.	Festum Patrocinii S. Joseph.
Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.	

§ III. *Duplicia Majora.*

Exaltatio S. Crucis.	Decollatio S. Joannis Baptistæ.
Duo festa Septem Dolorum B. M. V.	Cathedra S. Petri Ap., utraque.
Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo.	Festum ejusdem ad Vincula.
Festum SSmi Nominis B. M. V.	Conversio, et Commemoratio S. Pauli Ap.
Festum de Mercede B. M. V.	Festum S. Joannis ante portam Latinam.
Præsentatio B. M. V.	
Apparitio S. Michaelis Archangeli.	

## PRO ALIQUIBUS LOCIS.

Officia Mysteriorum et Instrumentorum Passionis D. N. J. C.	Translationis Almæ Domus B. M. V.
SSmi Redemptoris.	Expectationis Partus B. M. V.
Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph.	B. M. V. Auxilium Christianorum.
SSmi Cordis Mariæ.	Prodigiorum B. M. V.
Desponsationis, Maternitatis, Puritatis, Patrocinii B. M. V.	Apparitionis B. M. V. Immaculatæ.
	Commemoratio Omnium SS. Summorum Pontificum.

Item alia quæcumque festa sive Domini, sive B. M. V. sub aliquo peculiari titulo, sive Sanctorum, præter eorumdem natalem diem, uti Inventionis Corporum, Translationis, Receptionis, Patrocinii, et hisce similia.

Die 22 Augusti 1893.

Facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII, de his omnibus relatione per me ipsum infra-scriptum Cardinalem Præfectum, Sanctitas Sua duplicem Catalogum, prouti superius exstat, approbavit ac vulgari præcepit; elevato ad ritum duplicem majorem, una cum festo Dedicacionis Basilicæ SSmi Salvatoris, festo etiam Dedicacionis Basilicarum ss. Petri et Pauli Apostolorum. Die 27, iisdem mense et anno.

CAJETANUS CARD. ALOISI-MASELLA,  
S. R. C. Præfectus.

Loco † Sigilli.

VINCENTIUS NUSSI,  
S. R. C. Secretarius.

5<sup>a</sup> Regula. In æqualitate ritus officia facultativa licet particularia et digniora officiis præceptivis cedere debent, saltem in sequentibus. Facultativa sunt, quæ ex speciali indulto aut privilegio concessa sunt; et præceptiva, quorum recitatio ex præcepto imposita est (1).

Ita festum s. Joseph 19 Martii præferendum est festo septem dolorum B. M. V. ubi hoc sub eodem ritu celebratur (2); dedicatio ecclesiæ cathedralis a regularibus præferenda est festis ordinis 2 cl. (3); dedicatio ecclesiæ cathedralis a congregatione ss. Redemptoris præponenda est officio ss. Redemptoris titularis congregationis (4); item patrocinium s. Joseph, ubi celebratur sub ritu dup. 1 cl. cedere debet dedicacioni, patrono loci et titulo ecclesiæ, non tantum quia est festum secundarium, sed etiam quia ritus 1 cl. dicto patrocinio tantum convenit ex indulto et privilegio (5). Pariterque dicendum est, patronum loci, dedicacionem et titularem

(1) Ita Gardellini in dec. 4429-4579, nota prima ad 4. Item ibidem in nota ad 1 scribit: « In occurrentia... cum festis æqualis ritus, facultativa » præceptivis cedere debent. » Item ibidem in nota ad 2 et similiter in dec. 4431-4581, ad 2.

(2) S. R. C. 4 Sept. 1875, n. 5626.

(3) S. R. C. 27 Mart. 1779, n. 4244-4393, 8.

(4) S. R. C. 31 Mart. 1821, n. 4431-4581, 2.

(5) S. R. C. 14 Maji 1803, n. 4338-4487, 5.

ecclesiæ præferri debere patrono seu titulari ordinis, congregationis religiosæ et monasterii, licet hic sit dignior (1), quia ordini et monasterio non de jure sed tantum ex privilegio et quadam convenientia patronus seu titulus competit, ut dictum est num. 217. Item festum patroni diœcesis, licet dignioris, in locis diœcesis, ubi alius patronus loci colitur, postponendum est patrono loci, dedicationi et titulari ecclesiæ, quia in illis locis ritus duplex 1 cl. festo patroni diœcesis non competit, nisi ex speciali privilegio, ut dictum est num. 225.

Not. 1. supra dictum esse *saltem in sequentibus*, quia, etsi conveniat, ut festa facultativa præceptivis cedant, hæc tamen regula nondum videtur generaliter applicanda, tum quia S. R. C. hic necdum generalem regulam dedit, tum quia sic fere corrueret regula tertia, cum festa particularia ut plurimum sint facultativa.

Not. 2. In occurrentia festi facultativi aut secundarii cum altero facultativo aut secundario, festum dignius juxta secundam regulam esse præferendum (2).

6<sup>a</sup> Regula. Festum, quod feriacionem annexam habet, licet retineat eundem ritum, quem alias habet, seclusa hac qualitate præcepti (3), præferri tamen debet festo particularis ecclesiæ, nisi hoc sit majoris ritus aut dignitatis (4). Sic festum patroni loci, quod cum feriacione celebratur, præferendum est titulari ecclesiæ etiam a regularibus, nisi titularis sit B. M. V., angelus, apostolus etc. idque etiam in locis, in quibus solemnitas patroni in dominicam transferatur, quia decreta Apostolica, quibus festa abrogata sunt, festorum ritum non immutarunt. Ratio est, quia cæteris paribus maxime dedeceret in una ecclesia festum peragere diversum ab illo, quod in illo loco, solemnissime celebratur; et major habenda est ratio publicæ celebritatis cleri et populi, quam solius cleri (5).

(1) Dec. cit. 14 Maji 1803, et 31 Mart. 1821.

(2) Vid. Gardellini in dec. 4429-4579.

(3) S. R. C. 2 Sept. 1741, n. 3970-4119, 3.

(4) S. R. C. 5 Maji 1736, n. 3894-4044, ad tit. 10, de translat. dub. 5.

(5) Gavantus sect. 3, c. 10, n. 15; Merati sect. 3, c. 8, n. 11, et c. 10, n. 10.

7<sup>a</sup> Regula. 1<sup>o</sup> Cæteris omnibus paribus præferendum est officium, quod cum majori solemnitate et populi concursu celebratur (1). Juxta hanc regulam festa occurrentia universalis et particularia olim celebranda vel transferenda erant, ut patet ex decretis (2): hæc autem decreta quoad hoc revocata dicenda sunt per decretum generale (3), quo declaratur in paritate ritus et dignitatis faciendum esse officium kalendarii particularis, et transferendum officium kalendarii universalis (4). Et ita S. R. C. declaravit « rubri-

(1) S. R. C. 11 Jan. 1749, n. 4049-4198, 4

(2) S. R. C. 7 Sept. 1680, n. 2779-2928, 10, et 20 Mart. 1683, n. 2870-3019, 4.

(3) 12 Jul. 1704, n. 3551-3700, 3.

(4) Dec. 7 Sept. 1680 est ut sequitur: « Occurrentibus eodem die tribus » officiis ejusdem ritus, unum scilicet de ordine, aliud de kalendario » Ecclesiæ universalis, et aliud de aliquo sancto, cujus habetur corpus » vel reliquia insignis in propria ecclesia; de quo prius faciendum sit » officium? S. R. C. respondit: *Faciendum est officium de digniori, seu » solemniori; quæ vero sunt minoris dignitatis, seu solemnitatis trans- » ferenda sunt.* » Decretum 20 Mart. 1683: « Si (officia) sint ejusdem » ritus et dignitatis, an præferendum officium loci officio in proprio reli- » gionis calendario descripto? S. R. C. respondit: *Præferendum officium, » quod cum majori solemnitate et populi concursu celebratur, ad for- » mam rubric. de translat. fest. num. 6.* » Item decretum *Urbis et Orbis* 12 Jul. 1704. « An in occurrentia festi kalendarii particularis, et festi » kalendarii universalis cum paritate ritus, et sine excellentia majoris » dignitatis, faciendum sit de primo, translato secundo? S. R. C. omnibus » bene perpensis, et mature consideratis, censuit reponendum: *Affir- » mative.* » In tribus igitur decretis eadem quoad sensum est petitio, diversa autem responsio in ultimo; et proinde concludendum est, solum ultimum decretum, seu illud generale *Urbis et Orbis* 12 Jul. 1704, tenendum et sequendum esse, eo magis 1<sup>o</sup> quia S. R. C. postea semper eodem modo respondit, ut patet ex decretis citatis ad regulam tertiam, et alio 9 Ap. 1842, n. 4791-4937: et 2<sup>o</sup> quia in dec. cit. 20 Mart. 1806 declaravit: « rubricam (tit. X, n. 6) intelligendam esse de solemniori quoad ritum et » dignitatem, non quoad extrinsecam solemnitatem » quæ quidem in concurrentia, sed non in occurrentia est attendenda. Ita ut, sive decretum 20 Mart. 1806 agat de occurrentia, sive de ordine translationis, in eo tamen declaretur, rubricam tit. X, n. 6, quæ agit de occurrentia, intelligendam esse de solemniori quoad ritum et dignitatem, non quoad extrinsecam solemnitatem, quæ non est attendenda.

» cam (*tit. X, n. 6 et 7*) intelligendam esse de solemniori  
 » quoad ritum et dignitatem, non quoad extrinsecam solemnitatem, quæ in ordine translationis non est attendenda » (1). Ita ut hæc et duæ sequentes regulæ tantum locum habeant, si utrumque festum sit ejusdem ritus et ejusdem dignitatis, æque particulare vel universale, æque primarium vel secundarium, æque præceptivum vel facultativum. 2º Servandus est ordo litaniarum (2). 3º Sequendus est ordo martyrologii, si nihil obstet (3). 4º Dum eadem die occurrunt duo officia ejusdem ritus, alterum alicui diei mensis assignatum, alterum mobile, utpote alicui dominicæ aut feriæ affixum; præfertur officium diei mensis juxta decretum S. R. C. (4) in quo petitur : « Dum eadem die occurrunt duo officia B. Mariæ V. » ejusdem ritus, alterum alicui diei fixe assignatum, alterum » mobile utpote alicui dominicæ affixum, quod ex utrisque » prævalere debet? S. R. C. declaravit : *Præferendum officium diei mensis.* »

8ª *Regula.* Si festa dedicationis, titularis ecclesiæ et patroni loci occurrant; præfertur festum dedicationis juxta tabellam duplicium 1 cl. in qua dedicatio præponitur patrono et titulari, quia dedicatio est festum Domini, ideoque tanquam dignius præferendum est festis æque particularibus et localibus (5), idque etiam in casu, quo festum patroni cum feriatiōe celebratur, aut celebrari deberet, ut patet ex decretis citatis : nisi festum patroni aut tituli sit : s. Joseph, natiuitas s. Joannis B., festum ss. apostolorum Petri et Pauli, assumptio, aut I. conceptio B. M. V. aut festum omnium sanctorum, aut nisi titularis sit majoris dignitatis, uti s. crux (6).

(1) Mart. 1806, n. 4350-4500, 15. Vid. etiam dec. 16 Feb. 1781, n. 4252-4401, 17 et 18; 14 Maji 1803, n. 4338-4487, 5.

(2) S. R. C. 22 Aug. 1711, n. 3692-3841. Vid. supra ad regulam 2.

(3) Gardellini in dec. n. 4411-4561, 1.

(4) 22 Jul. 1848, n. 4974-5135, 1.

(5) S. R. C. 15 Dec. 1632, n. 825-972; 8 Aug. 1643, n. 1322-1469, 3; 12 Sept. 1840, n. 4750-4897, 5; Gardellini in dec. n. 4429-4579, 1, et 4444-4594, IV; Cavalieri tom. 1, dec. 16, n. 30.

(6) S. R. C. 24 Nov. 1708, n. 3646-3795, 1.

Similiter anniversario dedicationis omnium ecclesiarum in territorio reipublicæ Gallicanæ occurrente in dominica post octavam Omnium Sanctorum cum festo patroni, in ecclesiis etiam non consecratis fieri debet de eodem anniversario, translato festo patroni (1).

Si titularis ecclesiæ et patronus loci occurrant, præfertur festum titularis ecclesiæ, quia festum particulare præcedit illud, quod est magis universale (2) : nisi patronus loci sit majoris dignitatis (3) aut celebretur cum feriatiōe, ut dictum est supra ad regulam 6.

Si occurrant patronus regni aut provinciæ, et patronus civitatis aut pagi, cæteris paribus præferendum est festum patroni particularis civitatis aut pagi (4).

NOVUM OFFICIUM QUO DIE EST CELEBRANDUM.

**269.** Novum officium est celebrandum in die, quo per decretum concessionis vel aliud particulare decretum Apostolicum, seu S. R. C. assignatur; et si dies non assignetur, in die obitus (5) nisi in hoc posteriori casu alius dies in kalendario vel martyrologio Romano notetur.

Not. triplicem adduci rationem computandi diem natalem Sanctorum, videlicet : 1º a vespera ad vesperam, ita ut, si Sanctus hora quæ vesperis decantandis indicitur, obierit; dies sequens natalis censeatur; 2º a media nocte usque ad mediam noctem juxta usum communem; et 3º a fine completorii, inchoata jam nocte, ita ut natalis computetur dies, non qui noctem illam præcedit, sed qui sequitur. Sic pro festo s. Caroli, qui obiit 3 Novembris tertia hora noctis, dies 4 assignata est (6).

(1) S. R. C. 28 Ap. 1873, n. 5546.

(2) Merati sect. 3, c. 10, n. 9.

(3) S. R. C. 9 Ap. 1808, n. 4357-4507, 6.

(4) Merati sect. 3, c. 12, n. 2.

(5) S. R. C. 3 Junii 1662, n. 2023-2170; 22 Maji 1841, n. 4782-4928, 1.

(6) S. R. C. 25 Oct. 1610, apud *Analecta juris Pontif.* n. 368; 21 Jul. 1855, n. 5220, 3; *Guyetus lib. 2, c. 2, q. 2 et 4*; Cavalieri tom. 1, dec. 45, n. 15-21, item dec. 97 et 100.

Quid autem faciendum est, si in die, quo novum officium ponendum foret, aliud officium modo celebretur?

R. 1° Si **utrumque** sit officium Ecclesiae universalis, et in die, quo **novum** officium ponendum esset, aliud officium in calendario Romano occurrat; vix ulla difficultas habetur, quia eo casu in concessione officii aut per particulare decretum sive **uni** sive alteri dies fixa assignari solet: quod autem si non fiat, **et** utrumque in die propria seu natali occurrat; in paritate **ritus** novum officium ulterius est transferendum, quia qui **prior** est tempore, potior est jure: et in diversitate ritus officium majoris ritus in die propria est celebrandum, et illud **inferioris** ritus ulterius transferendum, prout factum fuit quoad officium s. Gregorii VII, et s. Mariae Magdalenaë de Pazzis (1).

Si autem **pro** novo officio Ecclesiae universalis assignetur dies, quæ in aliquo loco, ordine, diœcesi aut ecclesia perpetuo est **impedita** propter aliquod Ecclesiae universalis festum translatum, cui dies illa assignata fuit tanquam dies seu sedes propria: tunc vel novum officium præscribitur faciendum etiam in die assignata seu fixa extra diem propriam, et eo casu **idem** faciendum est ac in præcedenti, scilicet "in paritate ritus noviter concessum officium ulterius transferatur, " **et** in diversitate ritus " assignandum officium " potioris ritus, et inferioris ritus ulterius transferendum " (2). Vel novum officium faciendum præscribitur in die propria, **et** tunc novum hoc officium sive in paritate sive in diversitate ritus in die propria est celebrandum, et aliud modo translatum, ulterius est transferendum juxta decretum S. R. C. (3) quod sic habetur: " An novo festo " (s. Alphonsi Mariae de Ligorio) alia dies sit assignanda

(1) S. R. C. 23 Junii 1736, n. 3900-4049, 4, et 16 Feb. 1737, n. 3907-4056, 4.

(2) Ita S. R. C. 7 Dec. 1844, n. 4839-4985, IV, et pariter 11 Jul. 1739, n. 3946-4095, 2; 1 Oct. 1740, n. 3953-4102, 2; 4 Sept. 1745, n. 4026-4175, 5; 29 Jan. 1752, n. 4074-4223, 4; 13 Mart. 1804, n. 4342-4491, 6; 16 Ap. 1853, n. 5183, III.

(3) 12 Sept. 1840, n. 4763-4910, dub. 2.

" in particularibus illis ecclesiis, ubi 2<sup>a</sup> Augusti celebratur " festum s. Marthæ, an vero festum s. Alphonsi Mariae de " Ligorio sit præferendum, et festum s. Marthæ ulterius " transferendum ad primam diem non impeditam? 2° Quid, " si alicubi die 2<sup>a</sup> Augusti hactenus celebrari consueverit " festum æqualis aut altioris ritus ex. gr. s. Petri ad vin- " cula, in ecclesiis, ubi prima Augusti celebrari debet dies " octava s. Jacobi Apostoli tanquam patroni? S. R. C. res- " cribendum censuit quoad primam quæstionem: *negative* " *ad primam partem; affirmative ad secundam.* Quoad " secundam quæstionem: *quum sint translata, ulterius* " *progrediantur juxta rubricas: dies enim secunda* " *Augusti est propria s. Alphonsi Mariae de Ligorio* " (1). Adeoque cum petitio ad 2 ut patet, generalis sit, et ratio responsionis " *quum sint translata* " etiam generalis sit; decretum ut regula quoque generalis in similibus haberi debet (2). Hic autem non obstat decretum supra citatum 7 Dec. 1844 in *Mechlinien*. quia hoc, ut ex petitione et responsione patet, de diverso agit casu, scilicet, quo novum officium præscribitur faciendum non in die propria seu natali, sed in die *determinata* seu assignata.

R. 2° Si officium prius celebratum sit Ecclesiae universalis, et novum particulare; tunc si novo particulari officio dies non assignetur in concessione officii aut per particulare decretum, et officium Ecclesiae universalis sit æqualis vel potioris ritus; eo casu officium Ecclesiae universalis est celebrandum et retinendum in sede propria, et novum particulare ulterius

(1) Verum est s. Alphonsum kalendis Augusti circa meridiem obiisse: at cum potior officii pars tunc sit absoluta, dici potest ejus officium a vespere tantum incipi, et diem secundam seu sequentem ut ejus natalem et propriam considerari. Quod confirmari potest: 1° ex martyrologio, in quo s. Alphonsus secunda et non prima Augusti refertur, cum contra alii sancti, qui a die natali transferuntur, in die natali et assignata nominari soleant: et 2° ex officio, in quo mutatio versus hymni *Iste confessor* in breviariis Romæ editis non notatur. Vid. Guyetus l. 2, c. 2, q. 2, et Cavalieri tom. 1, dec. 97, n. 14.

(2) Vid. Cavalieri tom. 1, dec. 93, n. IV et V.